

43. Certitudo, qua Deus infallibiliter præcitat, hominem prævenienti suæ gratiæ conferendam, & cooperaturam, non innitur decreto absoluto, quo ipse prædestinavit, quod contentat, aut cooperetur; sed in usu auxiliorum gratiæ, pro innata libertatis hominis arbitrio.
44. Quod Providentia Dei, in distribuendis auxiliis suæ gratiæ, rationem fortitur prædestinationis, non est ex proposito voluntatis Dei, sed pendet a prævio usu humane voluntatis.
45. Prædestinationis Divinæ certitudo non est ex virtute, quam a Deo habent beneficia, que ipse sic præparavit, & donat, ut ii certissime liberentur, quicumque liberantur, sed ex præsentia Dei conditionata, de usu eorumdem beneficiorum futuro pro innata utentium libertate.
46. Usus Divinorum auxiliorum, & beneficiorum est in Deum referendus, ut, quod homo bene iis libere utatur, sit ab efficacia gratiæ, aut prædestinationis Dei.
47. Ad perseverandum in iustitia usque in finem vite, præter gratiam habitualement, non potentiora per Christi merita dantur adultis auxilia, quam, quibus possunt usque in finem perseverare, si & ipsi pro innata sibi libertate velint.
48. Si ab efficacia auxiliorum Divinæ gratiæ habent homines, quod velint perseverare, atque perseverent, tolleretur ab ipsis arbitrii sui in perseverando libertas.
49. Differentia inter auxilia ad perseverandum data primi hominis in statu innocentis, & quæ in statu naturæ reparata dantur Christianis, non tam est ex differentiæ auxiliorum virtute, quam ex diversitate effectuum, in utrisque, pro innata sibi libertate, subsequenter.
50. Perseverantia adultorum non est aliter donum Dei, quam, quod ipsis auxilia huiusmodi decreverit dare, quibuscumque possint perseverare: prævidit etiam illos, non ex auxiliorum efficacia, sed pro innata sibi libertate ita cooperaturos, ut perseverent.

## XVI.

## RESPONSIO

Eximii D. N. GUILIELMI ESTII, Regii, ac Ordinarii S. Theol. olim Professoris  
in alma Universitate Duacena,

Ad objecta sibi a quodam Societatis Jesu Professore. (I)

Superioribus diebus allatum est ad me Scriptum quoddam, publice dictatum a P. Lectore Theologiæ in Aquicinctensi Collegio, in quo ille, dum ostendere vult doctrinam suam, quam prolixè tradidit, de Gratia, & Prædestinatione, non esse novam in Lovaniensi Schola Theologica, neque in Duacensi; id inter alia probare nititur ex quibusdam meis verbis, quæ a me in hac Duacensi Schola dicta, & dictata fuerunt, cum docerem 1. & 2. Sentent. videlicet ante annos 5, aut 6. Cui ut, salva caritate Christiana, quam invicem debemus, respondeam, primum omnium, ne quis ex huiusmodi scripti lectione suspiceretur, me vel affici quodam sinistro affectu, vel aliqua quavis occasione, sententiam de Prædestinatione, & Gratia Christi, quam aliquando tenuerim, aliquando mutasse in contrariam; plane declaro, me, ex quo tempore in dogmatibus Theologicis aliquid intelligere cepi, semper ab illis opinionibus, quas Lector se tradidisse fateor, fuisse alienum, semperve existimasse, eas & Scripturæ Sacræ, & doctrinæ SS. Patrum, maxime eorum, qui de Gratia Christi contra Pelagianos accuratius scripserunt, ut Augustini, Prosperii, Fulgentii, neutquam esse consentaneas: ideoque meæ intentionis nunquam fuisse, ut in Prælectionibus meis, aut Disputationibus aliquid dicerem, aut dictarem, ex quo illæ opiniones probari possent: ac multo minus me eas, vel earum aliquam ex professo de Cathedra docuisse.

Quare, si quid forte esset alicubi in scriptis, aut dictatis meis, ex quo per apparentem rationationem deduci posset aliquid talium opinionum, nullo modo existimare debent studiosi, me propterea tale quid aut sensit, aut docuisse, nisi putare velimus, omnes Patres, & Doctores Scholasticos, adeoque & in Scripturis Spiritum Sanctum sensit, & docuisse ea omnia, quæ homines, di-

versissima opinantes, pro suis opinionibus ex illis se credant recte deducere. Quod quam sit absurdum existimare, nemo est, qui non videat. Si quis autem meam de absoluta Dei Prædestinatione, deque efficaci Gratia Christi sententiam agnoscere cupit, eum remitto ad ea, quæ de utroque argumento ex professo docui, & dictavi super 1. & 2. Sentent. Nam iis locis tam aperte sententiam meam exposui, & quidem cum expressa refutatione dogmatis contrarii, ut, si quis ea perquirere dignatus fuerit, facile sit intellegendum, quam ego doctrinam illo tempore tenuerim, ac publice de Cathedra tradiderim: nimirum plane contententem cum ea, quam & ipse hodie teneo, & Facultas hæc Theologica ab initio semper tenuit; longissime vero discrepantem ab ea, quam Lector se tradere profiteretur. Et idcirco frustra ab eo in meis Scripturis queritur, unde sua confirmet, & Scholam Duacensem in suas partes vel invitam pertrahat.

Sed ad Scriptum eius venio, qua parte vel Scholam Lovaniensem suam conatur facere, vel idem de Duacensi tentat ex iis, quæ ego docui.

Nam de Schola Lovaniensi aliquid respondere, puto equidem, esse mearum partium, qui in ea multis annis inter præcipuos illius Scholæ Magistros sui versatus, ita ut etiam antiquiorem ejus statum potuerim utcumque exploratum habere.

Occurrens igitur objectioni, quam sibi facit de novitate suorum dogmatum, dicit primo: Non posse vocari nova, & peregrina dogmata, quæ & Augustinus ipse &c. Sed hoc, ab eo assertum, totidem verbis negamus. Legatur, quæ scripsit Augustinus contra Pelagianos, legatur opuscula Prosperii, & Fulgentii, legatur Epistola Cælestini Papæ ad Episcopos Galliarum, & Canones Arausicani Concilii, auctore Leone: facile ex iis per-

perspicit studiosus quisque, quam nulla sit horum dogmatum cum illorum Patrum, & Pontificum doctrina consensio.

Secundo dicit, sua dogmata in antiqua Schola Lovaniensi non ita pridem fuisse vulgatissima, atque, inquit, ab Adriano Pontifice, Driedone, Ruaro, Cunero, aliisque multis ad nos usque transmissa.

Quæro, quo tempore fuerint vulgatissima, Ruardi, an Cuneri?

Ubi obiter moneo, ne quis audiens Adrianum Pontificem, existimet, eum, quando Pontifex fuit, tale aliquid scripsisse: nam scripsit multo ante Pontificatum. Certe, si aliquis diceret, Adrianum Pontificem scripsisse, quod certum sit, Romanum Pontificem posse errare etiam in iis, quæ tangunt hæresim, per suam determinationem, seu decretalem, afferendo, plures fuisse Romanos Pontifices hæreticos; recte ei ostenderetur, Adrianum quidem id scripsisse, sed multo ante Pontificatum, nec verisimile esse, quod Cathedram Apostolicam tenens, tale quid scribere, aut dicere, in animum induxisset.

Ad eundem igitur modum de Pontifice Romano, ne quis ex eo nomine, ita studiose appositò, fallatur. Quid autem scripsit Adrianus? Tantum de sufficienti auxilio; quam tamen doctrinam, neque ut Scholæ doctrinam, neque ut communem proposuit, sed ut suam, & peculiarem. Proponens enim eam, dicit, *ut probabiliter teneo*; tamen nec illa ipsius sententia multum faveat dogmati istorum: quia, quamvis ponat Adrianus, omnibus offerri sufficientem gratiam, docet tamen aperte, nullum peccatorem per solam illam sufficientem gratiam converti, sed ad actualem peccatoris conversionem requirit auxilium gratiæ abundantioris. De cæteris dogmatibus nihil ad Adrianum. Quomodo ergo, ejus tempore, dicuntur, hæc dogmata in Schola Lovaniensi fuisse vulgatissima?

At nec Driedonis, nec Ruardi temporibus, etiam fuisse ibi vulgatissima, probatur, quandoquidem illi singuli, suis temporibus, nonnulla, quæ cum his dogmatibus consentire putantur, non tam tradiderunt, quam disputando, & opinando, cum modesta protestatione proposuerunt, ut eorum scriptis patet. Unde rursum intelligitur, non fuisse ea Lovaniensis Scholæ vulgatissima dogmata.

Quod autem viri illi docti in ejusmodi opiniones non nihil deflexerint, non adeo mirum, cum illo tempore, & ab illis legeretur liber de Ecclesiasticis dogmatibus, tanquam Augustini, qui est Presbyteri Massiliensis, & liber Faustii de libero arbitrio, tanquam Catholici, ac Venerabilis Patris, quem tamen, satis constat, fuisse hæreticum, cumque brevis ille in Epistolæ Pauli commentarius, qui inter opera Hieronymi extat, tanquam Hieronymi legeretur, cum sit ipsius Pelagii. Quam tamen Driedo non proflus cum illis sentiat, vel ex eo monstratur, quod Driedo non uno loco fateatur, & docet, Deum sua prædestinatione voluntates humanas determinare ad opera prædestinata, & facere, ut homines determinant se ipsos. Quæ doctrina verissima ab his tantopere oppugnatur.

At nec illud de Ruaro prætermittendum est: eum aliquando a magnis viris, & nominatim a Petro Soto, doctissimo, ac sanctissimo Theologo admonitum, & reprehensum fuisse, & coram, & per litteras, quod, in illis suis de gratia, & prædestinatione opinionibus, non recte ambularet, secundum veritatem Ecclesiasticæ, & Apostolicæ

doctrinæ. Qui etiam aliquando a quodam Collega (1) Scholæ admonitus de Fausto, quod non Venerabilis, ut ille eum vocabat, sed damnabilis Auctor esset, ea re sibi indicata, vehementer obstupuit; ut ego ex illo ipso Collega accepti. Nam ab eo Collega sui, iique præcipui, dissentiebant: ut intelligas, quam nec ejus tempore fuerint vulgatissima, quæ ille opinando dicebat. Videatur autem de Ruaro Justificatio Censuræ Facultatis Theologicæ Lovaniensis.

Ad Cunerum venio, inter quem, & Ruardum anni aliquot intercesserunt.

Quod igitur Cuneri tempore non fuerint hæc dogmata in Schola Lovaniensi vulgatissima, ac ne vulgata quidem, mihi certissime constat, qui, ab anno 1561., quo Cunerus nondum erat Professor, usque ad annum 1582. eas Scholæ trivi, partim ut discipulus, partim ut Licentiatus, aut Magister; quique sententias, & doctrinam Professorum illius temporis probe cognitam habui. Eo enim loco tunc habebant hæc dogmata, ut, si quis ea publice vel docendo proponeret, vel disputando defenderet, non parum offenderet. Quamvis præter Cunerum, vix aliquem novi, qui id teuraret; etsi per id tempus, quod nominavi, habuerit ea Schola multos doctissimos Professores. Unde valde miror, qui sint illi alii Scholæ Lovaniensis Professores, a quibus sua dogmata fuisse tradita, Lector affirmat; cum nec ipse Cunerus, quem solum illius temporis nominat, aut quotidianus Professor fuerit, aut omnino constanter ejusmodi doctrinam tradiderit. Nam & in libro, quem post mortem ejus, doctus, ac prudentibus quibusdam viris frustra dissuadentem, Sacellanus ejus Coloniz excudi curavit, ingenue fateatur, eam sententiam esse Scripturis, & rationibus conformiorem, quam tradunt D. Thomas, Bonaventura, & reliqui alii Scholastici Doctores, dum præter virtutum naturalium conservationem, volunt, ipsas vires, & potentias divinitus ad opera, & actus applicari, & ab ipso, tanquam a primo immobili motore, motus omnes, & actiones procedere. Ubi & generaliter affirmat, quod non solum in naturalibus, sed in aliis etiam, quæ mala non sunt, Deus causas secundas ad actus, & motus suos determinet. Et alio loco, omnia ab æterno esse Divinitus determinata, Deumque sua providentia, bonum opus, ab homine faciendum, determinare.

Hæc docet, ab ipsa veritate compulsus, sciens, ea sine absurditate negari non posse: que tamen nunc ab iis, qui dogmata ista profitentur, ut sibi consent, negari videmus. Idem Cunerus alibi dicit, hoc ad magnam Dei potentiam spectare, quod alterius libero arbitrio utatur pro suo arbitrio. Et alia quædam, quæ parum his dogmatibus favent. Quare nec Cunerus quidem, quem solum ab annis amplius 22. inter Lovaniensis Scholæ Professores suæ doctrinæ patronum adducunt, illis per omnia consentit. Patet insuper, quam sit a veritate alienum, quod tam fortiter asseritur, fuisse non ita pridem hæc dogmata in Schola illa vulgatissima.

Sed nunc ea, quæ sequuntur, videamus. Probaturus, ista dogmata ne ab hac quidem Duacensi Academia debere peregrina censerent, primum monet, ut affectum nonnihil seponamus; idemque postea repetit. Ipse viderit quam modeste, quam Christiane, id faciat. Neque enim leve crimen est, ubi de dogmatibus religionis agitur, in iudicando, affectum adhibere. Quod si a nobis in eum diceretur, forte nec immerito incurrere videremur in illud; *Nolite iudicare &c.* Quod autem

(1) Ad cap. 25. Lib. 4. Hist. de Aux.

(1) Ajunt, fuisse Jodocum Tiletanum.

tem addit: *Ut pauca e multis insereram, rhetorice magis, quam vere dictum: ut illud paulo ante: alisque multis; facile est enim ad hunc modum loqui, etsi difficile probare. Quomodo enim multa; cum nec ista pauca, e multis illis excerpta, tanquam præcipua, rem institutam probent?*

Omitto D. Stapletonum, quem audio, dum hic Professore ageret, nihil tale unquam ex professo docuisse, sed quædam diversa, quæ etiam editis libris evulgavit. Omitto etiam D. Alanum, de quo ex fide dignis testibus accipi, hæc dogmata ei toto genere fuisse improbata: quod & liquido monstrant ea, quæ hic publice docuit, & in manibus aliquorum adhuc versantur.

Ad ea venio, quæ ex meis Scriptis contra me, & Scholam hanc nostram obijciuntur: haud multo secus, atque olim a Pelagianis, & postea a Massiliensibus quædam S. Augustino, ex anterioribus ejus scriptis, tanquam posteriori suæ doctrinæ contraria, obijciuntur.

Primum dicit, sententiam illam, quam de Prædestinatione tradidit, eam ipsam esse, quam ego ante annos sex scriptis consignaverim.

Ad hæc valere putat sententiam, quam sequor super Distinct. 40. libri 1. sentent. de Angelorum prædestinatione: de qua quid sentierim eodem loco, tum iterum super Distinct. proxime sequentem, apertissime exposui.

Cum igitur inter prædestinationem Angelorum, & hominis lapsi, cum Augustino late distinxerim; non potest ex illa sententia, quam ibi sequor, de Prædestinatione Angelorum sumi argumentum, me similiter docuisse de prædestinatione hominis lapsi; cum potius contrarium inde sequatur. Si enim distincti; non ergo volui, esse utriusque eandem rationem. Utrum revera quicquam faciat illa de prædestinatione Angelorum sententia pro istis dogmatibus, nunc non excutio; sed postquam, vita comite, rursus ad eum locum venerimus, de ea redicemus, quod Dominus dederit.

Porro in in verbis, quæ deinde ex meis dictis super Distinct. 41. commemorat, non video, quid secundum ejus doctrinam dictum magnopere videri possit, nisi illud, quod & Pater Leonardus in Apologia pro se adduxerat. Dum enim laboro in solvendis argumentis, quæ contra absolutam prædestinationem adferri solent ex quibusdam Patribus, qui ante Pelagium vixerant, apud quos aliquando legitur, idcirco Deum aliquos vel prædestinasse, vel elegisse, quia bonos futuros prævidit; dixi, ejusmodi sententias sic recte intelligi. Deum quibusdam æternam gloriam præparasse, quia perseveranter bene victuros prævidit. At his verbis non volui, prævisionem bonorum operum esse priorem electione ad gloriam, ac multo minus bona opera sic esse prævisa, ut non sint hominibus a Deo præparata. Nam hunc errorem disterte exclusi verbis sequentibus, & a Lectore positus, cum dixi: „ Neque enim ejusmodi sermo „ ne negatum est, & ipsa bona opera electis præparata esse, ut in his ambularent, ut testatur „ Apostolus ad Ephes. 2. Sed hoc tantum volui, „ quod Patres illi voluerunt, Deum quibusdam „ æternam gloriam præparasse dandam pro bonis „ operibus, quæ prævidit eos perseveranter operaturos: prævidit autem, quia & præparavit. „ Considerarunt autem illi Patres in ejusmodi sententis gloriam, seu vitam æternam, tanquam „ mercedem, & præmium; quod ut tale præparatur homini propter meritum præcedentis operis. In quo sensu nihil est, quod hisce dogmatibus faveat, uti nec in verbis D. Alani, a „ Lectore allatis. Exponens enim D. Alanus eo-

„ rundem Patrum dicta de ultimo effectu prædestinationis, qui est vita æterna, subjungit: Illam enim prædestinavit Deus dare propter prævisa merita, utique tanquam mercedem.

Recitat deinde Lector quædam mea verba ex distinctis super Distinct. 43. lib. 2. Sentent. quibus ostendo, nullius quantumcumque maximi peccatoris in hoc sæculo desperandam esse salutem. Ea omnia hic repetere non est opus; sed hoc affirmo: nihil in his esse, quo vel leviter suspicari potuissem, ea sic a quopiam accipi posse, quasi faveam aliquo modo his dogmatibus, quæ ab istis afferuntur.

Colligit ex his verbis primo, Deum omnes omnino peccatores, citra exceptionem, ad penitentiam invitare, & omnibus spem veniæ facere; & hoc non frustra, neque irrisorie, sed sincere, & ex animo. Respondeo Deum, per ministerium Evangelicum, omnes omnino peccatores, quatenus ad eos ejusmodi ministerium pervenit, invitare ad penitentiam, omnibusque spem veniæ facere; idque non frustra, quia Divina sapientia in suis operibus nunquam frustratur sine proposito, quamvis ille sepe longe sit diversus ab eo, quod nos cogitamus. At neque irrisorie, quia revera possunt omnes converti: non quod semper, & ubique his præsto sit sufficiens auxilium ex parte Dei, præter quod ad eorum conversionem nihil amplius ex parte Dei sit necessarium; sed quia, dum sunt in hoc sæculo, flexibilem habent ad bonum voluntatem, ita ut per hoc hominum ministerium, & maxime per orationes piorum, possit his efficax illa Dei gratia, quæ convertantur, impetrari. Quocirca non est consequens; Deum ex parte sua, & quantum in se est, cupere omnes omnino peccatores: & cætera, quæ Lector bene colligit.

Vidit hoc & ipse Driedo non esse consequens, fatetur enim, non sequi: Non est desperandum de salute cujusquam, quamdiu hic vivit; ergo, quamdiu hic vivit, sufficiens habet auxilium, quo valeat resurgere. Ratio ejus est, quia, quamvis non habeat auxilium, potest tamen ei a Deo orationibus, & supplicationibus impetrari, ut ad penitentiam revocetur. Nec enim scimus, inquit, si Deus orationibus etiam propofuerit illius misereri.

Colligit secundo, non esse aliquos tam graves peccatores, ut eos Deus absoluto decreto &c. At hoc ex meis verbis non sequitur. Dixi enim, non esse aliquam peccatorum vel gravitatem, vel multitudinem, quæ certo aliquo Decreto a venia excludatur. Hoc de peccatis ipsis, eorumque gravitate, vel numero. Cum quo tamen optime consistit, Deum absolute nolle hujus, vel illius peccatoris misereri, etiam si forte non tam multa, neque tam magna peccata commiserit, atque alius peccator, cujus misereri constituit. Scimus enim, ad inscrutabilia Dei judicia pertinere, quare hunc trahat, illum non trahat; quamvis ille, qui trahitur, interdum multo deterior sit eo, qui non trahitur.

Colligit tertio, non omnia in particulari esse absolute, & efficaci decreto prædestinata a Deo ab æterno, ante prævisionem malitiam, vel determinationem causæ secundæ.

Hanc sequelam perinde nego, ac superiores. Et ratio patet ex dictis. Quod autem attinet ad tria subjuncta, ex quibus putat, conscribi idem corollarium: Respondeo, ea, quæ in doctrina Theologica vel obscura sunt, vel minus certa, nullo modo præjudicare his, quæ nobis, ut clara, & certiora in eadem scientia, traduntur, neque ex illis ista debere infirmari, sed ex his potius illa debere judicari.

Sub-

Subjungit deinde, se semper Auditoribus persuadere conatum, non requiri ad conversionem, vel opus bonum, aliquam gratiam prævenientem, quæ natura sua, & independenter a voluntatis nostra cooperatione, ita sit efficax, ut voluntatem efficaciter ad opus determinet, vel etiam prædeterminet. Quam autem recte ex Concilio Tridentino, aliisque Patribus, ac maxime Augustino, nec non ex evidenti ratione, putat suam doctrinam illam se probasse, nunc non examino; sed studiosos remitto ad ea, quæ indicavi, & ad alia doctrinarum Virorum scripta. Ponitur, inquit, ab illis, contra quos disputabam, gratia ista efficax prius natura efficaciter movere, ac determinare voluntatem ad opus. At illa verissima est doctrina, tradita in Scripturis Sacris, maxime a Christo Domino, & Apostolo ejus Paulo, tradita a Summis Ecclesiæ Doctoribus, Augustino, Thoma, & aliis, & in nullo contraria his, quæ in Concilio Tridentino decreta sunt.

Ponitur, inquit, talis, ut dicant, non esse in potestate hominis eam habere, immo nec Deum paratum &c.

Respondeo, nobis merito displicere eorum doctrinam, qui docent, gratiæ cooperationem esse in potestate nostræ voluntatis, & voluntati nostræ esse velut subjunctam. Inde enim multa absurda sequuntur, & in primis illud: Non esse opus, ut pro ea Deum oremus. Quid enim stultius, ait Augustinus, quam orare, quod in potestate habes? Et quomodo obsecro, non tollitur necessitas, immo & utilitas orationis pro gratia adjuvante, seu cooperante, si ea non aliud est, quam concursus quidam, vel influxus, omnibus simpliciter paratus, & expositus, quique in omnium sit potestate? Sane non ibi locum habet orare, sed sola gratiarum actio, sicut de lumine Solis, omnibus exposito. Si tamen catenus dicitur esse in potestate hominis habere gratiam, quia eam habere potest, Deo videlicet hominis miserente juxta beneplacitum suæ voluntatis, eo sensu facile id concedimus.

Quod addit, nos dicere, Deum non esse paratum, gratiam omnibus dare ( si enim paratus esset, inquit, non obitaret mala hominis voluntas) sed eis solis, quibus, quando, & quomodo de facto dat:

Ad hoc respondeo: Deus paratus est, gratiæ suæ auxilium dare omnibus petentibus: quædam etiam dat non petentibus, & si vult dare, non

obstant malæ hominum voluntates, quo minus ille, quod vult, quando, & quomodo vult, perficiat, & malas hominum voluntates in bonas efficacissima sua gratia convertat. *Omnia enim, quæcumque voluit, fecit.* Hæc apertissima est multis in locis doctrina B. Augustini, eademque in Scripturis fundatissima.

Dicit deinde, nos dicere, quod, quando habetur illa gratia, non potest eam voluntas ( quæ voluntas, inquit, secundum illos se habet, ut pedisequa ) inefficacem reddere. Respondeo: respuit quidem potest gratia, quando habetur; at non simul constitunt, ut habeatur, & non habeatur; item, ut habeatur, & causa, atque inefficax reddatur, quia eo ipso, quo habetur, jam efficax est; facit enim, ut faciamus, quod nisi faceret, nondum haberetur. Quare nec male dixit, quicumque hoc dixit fieri non posse, ut actu gratia ipsa respuatur, modo recte intelligas, in sensu nimirum composito. Non enim possunt hæc duo simul consistere, ut gratia habeatur, & respuatur; nam qui respuit, jam gratiam non habet.

Illud autem de pedisequa voluntate, me dixisse in scriptis meis de gratia, plane confiteor: & vehementer miror, id reprehendi, cum non mea, sed S. Augustini sint verba. Cum enim, ut etiam Driedo testatur, Pelagius veller, humanam voluntatem esse ducentem, & antecessorem; Dei autem gratiam comitem, & pedisequam; contra dixit Augustinus Epist. 106., voluntatem comitari gratiam, non ducere; pedisequam esse, non præviam. Hoc, ab Augustino verissime dictum, & illis verbis a me repetitum, non ita temere reprehendi debuit: uti nec illud, quod sequitur; nulla esse detestanda facinora, quæ acere Christi gratiam possint, sicut nulla tam præclara opera, quæ eam possint accerere. Hæc enim rursus non mea, sed pene ad Verbum 13. Profperi sententia est. Cujus etiam nomine, & loco adscripto, eam citavi: ut mirum sit, bonum virum sic falli potuisse, qui tanti viri sententiam pro mea nigro calculo notandam sibi fumeret. Et quidem sententia dubitationem non habet, seu priorem ejus partem spectes, quia nirtur omnipotentia Dei, qui in libero arbitrio, illa libertate, sicut vult, potest operari; five posteriori, quia dogma jam olim in Ecclesiâ definitum est: GRATIAM NON SECUNDUM MERITA NOSTRA DARI.

XVI.

## LIBELLUS MEMORIALIS,

DATUS PAULO V. ANNO 1612.

Quo tempore Capitulum Generale Ordinis Prædicatorum  
pro vulganda Pontificia Definitione circa Divinorum  
Auxiliorum Controversiam, supplicavit;

Editus ante annos aliquot a R. P. F. Hieronymo Baptista de la Nuza, Exprovinciali Provin-  
ciæ Aragoniæ, Episcopo Albarraciniensi, Mandante Eminentissimo S. R. E. Cardinali Hieronymo  
Xavierres, tunc Ordinis Prædicatorum Generali Magistro; novisque per R. P. Thomam de  
Lemos rationibus auctus.

BEATISSIME PATER. (1)

CAPUT PRIMUM.

**E**Natis adversus Ecclesiam Petri Abaelardi, ejusque discipuli Arnaldi Brixienfis erroribus, obstitit virili, ac generoso prorsus animo Bernardus Clarevallensis: ac post multos utrinque confictus, re demum ad Innocentium Pontificem, hujus nominis secundum, delata, multis ad eum datis Epistolis, supplicavit Sanctissimus Doctor, ut veritatem, ab Ecclesia Catholica tenendam, definiret. Id porro ut brevi conficeretur, singulari ad Sacrum Cardinalium Collegium missa Epistola, quæ cæteras inter centesima octogesima octava numeratur, significavit, quanta ipsi religione tenerentur ad Sanctitatem suam instare, pro Apostolica definitione, in tam parenti necessitate, maturanda. *Nulli dubium est, inquiebat, quin ad vos specialiter spectet, tollere scandala de Regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas &c.* Alteram quoque ad Guidonem, qui postmodum, sub Cælestini nomine, Pontifex fuit, dedit Epistolam, numero centesimanonagesimam primam, quæ, post multa in eam rem prolixius enarrata, ultimo tandem colligit, necessum omnino esse, definitionem Apostolicam edere de questionibus, recens in Ecclesiam inductis, & ad Romanæ Sedis Judicium tanta animorum contentione delatis. Atque id quidem tribus de causis, a SS. Patribus maxime commendatis, præstandum ostendit. Primum quidem, ob Apostolicæ Sedis officium, tum ob universalis Ecclesiæ bonum, tum ultimo ob illorum, qui controversias illas concitaverant, audaciam cohibendam: *Illud autem, inquit, scitate, quia expedit vobis, quibus potestas data est a Domino; expedit Ecclesiæ Christi; expedit illi homini, ut ei silentium imponatur.*

Idem & nobis impræsentiarum usurpare liceat, ac potiori quidem jure. Nec vero dubium, si hæc alias Apostolicam Sedem ad enatas controversias extremo judicio dirimendas impulerunt, quin & isto rerum eventu illam ad judicium tandem aliquando ferendum impellant. Salva quippe, quæ Apostolicæ Sedi reverentia debetur maxima, necessaria videtur omnino questionum de Divinæ gratiæ auxiliis definitio. Primo quidem, quia expedit Ecclesiæ Christi; secundo, quia expedit paribus in causam venientibus; tertio, quia, expedit Apostolicæ Sedi.

Quantum Ecclesiæ Christi expediat, controversiam  
definiri.

§. I.

**I**D in primis compertum videri potest, quia Divinæ gratiæ virtus, & efficacia, Catholice fidei basis, ac fundamentum est; uti Concilii Milevitani Patres adversus Pelagium, & Cælestium, gratiæ efficaciam implacabiles hostes, professi sunt in Epistola ad Innocentium I., quæ inter Augustinianas nonagesima secunda est, seque gravissimæ culpe reos fore, confessi sunt, si ab urgenda apud Summum Pontificem gravissimæ controversiæ definitione abstinerent.

Duo potissimum statuebant Pelagius, & Cælestius. Primum, naturam humanam primi hominis peccato nequaquam corruptam esse. Secundum, Efficaciam gratiæ Christi non esse homini necessariam, cum satis ex sese virium habeat liberum arbitrium. Quæ duo, ut aiebant Africanæ Patres, Christianæ religionis fundamentum concutiebant. *Hæc duo sunt, quibus omnino totum, quod Christiani sumus, niventur evolvere.* Quia nimirum, ut Augustinus, illorum unus, Epist. 94. ad Hilarium ait, duo illa, quid natura, ex Adamo contracta, possit, quid gratia per Christum operetur in nobis, totius Christianæ fidei fundamenta sunt. Quocirca etiam Theologi omnes Sacram Theologiam ad duo capita revocant, naturæ videlicet, ab Adamo contractæ, & gratiæ, a Christo Domino restitute: sic, ut rota pene in hisce duobus Theologia vertatur, quid a Christo, quid ab Adamo teneamus.

Ea de causa, præteritis olim temporibus, voluit Ecclesiæ, ut ea potissimum capita nitida, atque distincta definitione sancirentur. Ac licet Divinæ gratiæ necessitas in Concilio Cartaginensi definita esset; quia tamen Pelagii, ac Cælestii sectatores eosdem errores recudebant, Concilium Milevitanum paulo post celebratum est, ne quod in re tanti momenti dubium supersesset, uti ejusdem Concilii Patres Epistola mox laudata significant, suoque etiam suffragio confirmavit Innocentius I. in suo ad præfatos Patres dato Rescripto: ubi post laudatum illorum zelum, ac studium, necessarium prorsus, atque æquissimum, ait, ut, quæ Divinæ gratiæ, & liberi arbitrii vires attinent, distinctissime sanciantur. Quin di-

id quoque etiam observat, in omnibus Sacrarum Scripturarum paginis Divina gratiæ necessitatem, & efficaciam commendari; uti intelligerent universi, quam certo, quam distincte teneri ab omnibus debeant, quæ nobis toties in Sacris Litteris inculcat Spiritus Sanctus.

Hinc profecto compertum est, quanto studio invigilavit Sedes Apostolica in dirimendis controversiis, circa naturam Adami peccato vitiatam, & Divinæ gratiæ a Christo reparatæ virtutem, enatis: nec satis fidelibus fore existimavit, si veritates illas utcumque compertas haberent, nisi illas quoque distincte, & explicite profiterentur. Id ipsum sub Gelasio Summo Pontifice videre fuit: cum enim naturæ humanæ vitium agnoscerent aliqui, nec tamen peccatum originis, in quolibet Adæ filio re ipsa, ac proprie inherens, faterentur; catholicam veritatem singulari verborum proprietate exponendam aggressus est Pontifex Maximus, in Epistola ad Episcopos, per Picænum constitutos, *substantiam hominis peccato originali depravatam* appellans. Quocirca observat Cardinalis Baronius ad annum 406., eam loquentis rationem, a Gelasio usurpatam, gravissima difficultate laborare; cum non ipsa naturæ substantia, sed ejusdem potius accidentia ex protoparentis peccato vitata sint; eam tamen consulto Pontificem usurpasse, ut peccati originis, nostris animabus vere, ac proprie inherens, veritatem eliquatius, & apertius definiret. Illud ipsum in causa Divinorum auxiliorum observatum est. Enimvero (quemadmodum Patres Cathagineses in sua ad Innocentium I. Epistola (1) adnotarunt) non idcirco Pelagium, ac Cælestium damnandos existimavit Ecclesiæ, quod verbis gratiam abnegarent; sed quod re ipsa gratiæ virtutem diffiterentur, quam speciosis verbis profiteri videbantur: quippe qui gratiæ necessitatem prædicabant, ut agendi facultatem obtineremus; alteram vero gratiam necessariam detestabantur, ut re ipsa ageremus, & mereremur. Nec tamen illos idcirco catholicos habuit Ecclesiæ, quod gratiæ necessitatem, & efficaciam promissæ, & in commune faterentur, nisi ejusdem necessitatem, & efficaciam ad singulos actus agnoscerent. Quod ut aperte, distincteque definiretur, conjunctis studiis apud Innocentium I. instarunt, ne veritatem catholicam vaga illa Pelagianorum professione eludi sine-

ret. Non absterit D. Augustinus, una cum aliis quatuor Episcopis, in Epistola ad eundem Innocentium 95., quanti interesset, significavit, Divinæ gratiæ efficaciam specialiter definire; cum vaga illa Divinæ gratiæ, Divinique auxilii nomina Pelagius usurparet, ejusque necessitatem aliquo sensu fateretur, ne fideles penitus exacerbarer, ac commoveret. Id porro Ecclesiæ minus sufficere, monuit Augustinus, nisi eam quoque gratiam agnosceret, quæ operatur in nobis velle, & perficere, quæ adjuvat infirmitatem, facitque, ut sit in nobis bona voluntas.

Non itaque impræsentiarum Ecclesiæ Dei sufficere, putandum est, ut Divinæ Gratæ efficaciam vagis tantum, speciosisque vocibus Theologi profiteantur, quæ nonnisi ex abusu Doctores, nuper exorti, ad sicut incautis faciendum, usurpant: sed Apostolico Judicio distincte, & explicite definire, necessum est, quam re ipsa vim, & efficaciam in hominum voluntates obtineat; ne quam voce tenuis efficaciam profiterentur, re ipsa, ac facto negare pergant. Quantum enim efficacis gratiæ nomine turpiter abutantur, nedum abunde in sollemnibus Congregationibus nuper ostendimus, censueruntque delegati iudices, verum etiam  
Serry Tom. II.

ingenue fassus est Cardinalis Bellarminus, lib. 1. de Gratia & libero arbitrio cap. 12.

§. 2.

**A**ccedit ratio altera, superiori admodum affinis, quæ palam ostenditur, quantum Ecclesiæ Dei congruat, controversiam istam ultimo judicio eliquari. Cum etenim questiones de Divinæ gratiæ efficacia, liberique arbitrii viribus, fundamenti loco sint universæ Theologiæ, ex his profecto pendunt omnes pene gravissimæ controversiæ, quæ de Divina Prædestinatione, Scientia, Justificatione, Providentia, Voluntate, Merito, Redemptione Christi, Sacramentorum efficacia, aliisque bene multis agitari solent. Quas omnes idcirco nutare necessum est, quamdiu certum, firmumque de Divina gratiæ, & libero arbitrio canonem non habemus; universamque Theologiam novitatibus infici, proclive erit, si nova, & hæctenus inaudita fundamenta poni, sinat Ecclesiæ.

Lothario imperante, anno circiter 855. Theologi nonnulli, captandæ humanæ gloriæ æquo avidi, multa circa Dei præscientiam, gratiam, liberum arbitrium, justificationem, & prædestinationem novarunt, innata quadam garrandi pruriginis. Protinus, inspecto oritur damni periculo, Concilium Valentium habuere Præsules Gallicani, ac eos inter potissimum Laudunensis, Rheimensis & Arelatenfis, iis ad enatas novitates dissidandas verbis Apostolicis concitati: *O Timothee, depositum custodi, devotans profanas vocum novitates, oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* I. ad Tim. 6. Et rursus: *Profana autem, & vaniloquia devota; multum enim proficiunt ad impietatem, & sermorum, ut cancer, serpit.* II. ad Tim. 2. Quibus demum adducti sunt ad enatas profanas vocum novitates eliminandas, veteresque loquentis rationes suo calculo comprobandas, ne nova in Ecclesiam Theologia induceretur. Iisdem se Apostoli verbis adductum, ostendit D. Bernardus, Epist. 189. dum sua apud Innocentium II. officia contulit, ut Petri Abaelardi, & Arnaldi Brixienfis novitates solemni definitione proscriberet: quia cum iis in capitibus peccarent, quibus, veluti fundamentis, stabat Christiana Religio; periculum erat, ne novum prædicaretur populis, & gentibus Evangelium, fides nova proponeretur. Quod & latius prosequitur sanctissimus Abbas Epist. 190. quam, una cum nonnullis Episcopis, ad eundem Innocentium Pontificem dedit.

Profanis, spurisive vocum novitatibus omni retro tempore obstitit Ecclesiæ, ut Conciliorum pene omnium usu compertum est, multisque ostendit argumentis Hormidas in Epistola ad Justinianum Comitem, apud Baronium tomo 7. pag. 55. *Ne heretici stabilitatem fidei verborum novitate confunderent.* Quanto magis ergo iis novitatibus obstitendum est hodie, quæ non verbis solummodo peccant, sed & ipsa fidei nostræ fundamenta concutunt; de quibus Innocentius I. in Epistola ad Patres Concilii Cartaginensis, (numero 91. inter Augustinianas) occasione Pelagii, ac Cælestii, libere pronuciavit. *Totam veri dogmatis quarunt invertere disciplinam?* Quam nova siquidem sint dogmata Moliniana, non modo in sollemnibus illis Congressibus probatum a nobis est, & a Censoribus judicatum; sed & illorum præcipuus Architectus usque adeo fassus est, ut de inducenda novitate sibi gratuleretur, & plaudat in Concordia, quæst. 14. art. 4. & 5. disp. 1. mem. Mm 2. ul-

(1) Ad Caput 30. Lib. 4. Histor. de Auxiliis. Ex Hispano Latino redidit.

(1) Epist. 90. inter Augustinianas.

ultimo, & 1. part. quest. 23. art. 4. & 5. mem. 6. §. Quoad S. Augustinum.

## §. 3.

**A**Lia quoque de causa expedit Ecclesie Dei, causam istam ultimo defini, ut nimirum fideles noverint, quid a Deo suis in orationibus debeant postulare. Hanc rationem potissimum urget Concilium Carthaginense, in sua ad Innocentium I. Epistola, ut eum ad Divinae gratiae efficaciam contra Pelagium, & Coelestium statuendam adducat. Quia nimirum nostris ad Deum precibus efflagitamus, quae propriis conatibus praestare ex nobis ipsis minime possumus. Idcirco, quid propria vires possint, nosse congruit, ut ut Deum prudenter oremus. Consideret enim Sanctitas tua, inquebant praefati Concilii Patres, & Pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pessimum, & exitiale vobis Christi, quod istorum sacrilegas disputaciones necessario consequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod Dominus Discipulus manuit &c. . . . Si enim hoc, possibilitate natura, & arbitrio voluntatis, in potestate sunt constituta, quis non videat, ea a Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cum orando possunt, quae natura . . . viribus obtinentur? Nec debuissent Dominum Jesum dicere: Vigilate & orate; sed tantummodo: Vigilate, ne intretis in tentationem; nec Beatissimo Petro, primo Apostolorum: Rogavi pro te; sed: Moneo te, vel Impero, ac praecipio, ne deficiat fides tua. Quam quidem rationem usque adeo probavit Sanctissimus Pontifex; eaque se ad maturandam Pelagianismi damnationem adductum fuisse, significavit, ut illam potissimum in suo ad eosdem Rescripto ponderavit, & inculcarit. Non consequitur, inquit, gratiam, qui eam a Deo pendere, minime confitetur. Et infra: Nescientes, quod non nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat. Ac demum de Pelagio, & Coelestio fermonem habens, Isti, inquit, qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se posse confidunt, quantum vix illi, qui ab illo postulant, & accipiunt, promerentur. Hoc ipsum statuit idem Pontifex in altero ad Patres Concilii Milevitani Rescripto, frustra a Deo peti, inquit, quod in liberi arbitrii facultate positum est. Quid enim acerbius, ait ille, in Deum fingere potuerunt, quam, cum adjutoria Divina cessarent, causamque Divinae, id est, quotidianae precationis auferrent? Hoc est dicere: Quid mihi opus est Deo? Merito in eo dicit Hymnidicus: Ecce homines, qui non posuerunt Deum adiutorem sibi. Negantes ergo auxilium Dei, inveniunt, hominem posse sibi sufficere, nec gratia egere Divina.

Nihil minus eleganter D. Augustinus, Epistola 89. ad Hilarium, multis momentis ostendit, frustra ad Deum preces a nobis fundi, nisi ejus dona noverimus, Quocirca Oraculum illud Sapientiae 8. maxime ponderat: Servi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientia, scire, cujus esset hoc donum: adii Dominum, & deprecatus sum illum: singulaeque hujus oraculi verba minutatim expendens, neminem quidquam a Deo obtinere, colligit, nisi petat; neminem petere, nisi norit, quid a Deo peteat; atque idcirco necessum esse, id scire, ut prudenter, & religiose petamus; frustra quoque illos preces ad Deum fundere, qui nec gratiae potentiam, nec humanae libertatis infirmitatem exploratam habent. Hoc idem ex statuto principio intulerat prelaudati Patres Synodi Carthaginensis: Negata, inquit, Divinae gratiae necessitate, contradicitur Benedictionibus nostris, ut incas-

sum super populum dicere videamur, quiaquid eis precamur a Domino, ut, velle, & pie vivendo, illi placeant; & quod Apostolus petebat: Oro per fidem interius corroborari in interiori homine per Spiritum ejus. Si enim voluerimus benedicens super populum dicere: Da illis, Domine, virtute corroborari per Spiritum tuum; istorum nobis disputatio contradicit, si hoc a Deo poscitur, quod in nostra est potestate.

Non absimiliter impraesentiarum inferre licet. Si etenim Deus omnipotentissima gratiae suae praeventientis energia voluntates nostras interius non inspicit, agit, rapitque ad sese; frustra petimus, ut id praestet, immeritoque orat Ecclesia, Ut nostras ad se etiam rebelles compellat propriis voluntates; frustra rogamus, ut auferat a nobis cor lapideum, detque cor carneum; frustra, ut voluntates nostras ad se convertat, corda mutet, efficaciter ad bonum inclinet. Ita quippe colligebat alias S. Augustinus, Epistola 89. ad Hilarium, quest. 3. Cum de suis viribus praesumunt homines; adiutorium gratiae non implorant, & addunt infirmitati superbiam. Cum autem vocatione Divina intelligunt, cur sit ingemiscendum, & invocant eum, in quem corde credunt, dicentes: Misere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam . . . & alia multa, quae propterea scripta sunt, ut nos admonerent, ad implenda ea, quae nobis jubentur, ab illo petendum esse adiutorium, a quo jubentur.

## §. 4.

**H**Oc ipsum etiam defini, Ecclesiae congruit, ut fideles agnoscat, quas Deo grates rependere debeant. Tametsi enim Apostolus dixerit: In omnibus gratias agentes; fatis nihilominus significavit, non esse iis de rebus gratias Deo optimo referendas, quae in liberi arbitrii potestate sunt positae; sed quae Dei liberalitate conferuntur, ut Fides, Caritas, Justificatio, &c. Hinc illa longe celebratissima Apostoli verba: Quis te discernis? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisset quae toties Augustinus in Pelagianos retorfit. Si ergo Deus non operatur in nobis motum voluntatis humanae, nec eam interius, & efficaciter movet ad bonum, sed externis solummodo suasionibus, & invitationibus allicit; non est cur illi potius, quam nobismetipsis gratias rependamus; nec certe plus illi bonum opus acceptum referre debemus, quam cupiamus coelesti Magistro, qui nos suis adorationibus invitaret; nec plus posset Deus in motibus voluntatis ad bonum, quam diabolus possit ad malum, ad quod liberum arbitrium solis suasionibus, & invitationibus allicit, non efficaciter trahit. Atque idcirco, quo jure potiorum in peccatis perpetratis demone ipso partem habemus, utpote qui voluntatem nostram ipsi determinamus ad malum, is vero exterior duntaxat invitat; ita sane potiorum Deo ipso in justificationem partem habebimus, si solis ille suasionibus agit in nobis; ipsi vero voluntatem efficaciter inclinamus: nobisque, non Deo referemus acceptum, quod in nostrae justificationis opere potissimum est: in libero arbitrio, non in Domino gloriamur, quasi ab illo non accepimus. Quae certe, quantum Divinae gratiae derogent, nemo non videt.

Receptissima S. Augustini sententia est, a S. Cypriano petita, Nihil in nobis esse, in quo, tanquam in nostro, gloriamur. Unde & illud Psalmista, ubi dicitur: Praecurrite Domino in confessione, legendum putat: incipite Domino in confessione: quod primum exponit de gratiarum actione, unde auspiciari omnino debemus, gratias de

de perceptis beneficiis referendo: secundo de confessione peccatorum, quae nobis ita praestanda est; ut quidquid boni agimus, referamus in Deum; quidquid mali, voluntatis nostrae vitio adscribamus. Quocirca oraculum illud Psalmi 94. Praecipuus faciem ejus in confessione, in suis Enarrationibus exponens, Confessio, inquit, duobus modis accipitur. Est confessio laudantis, & est confessio gementis. Confessio laudantis ad honorem pertinet ejus, qui laudatur: Confessio gementis ad poenitentiam pertinet ejus, qui confitetur. Confitentur enim homines, cum laudent Deum; confitentur, cum accusant se; & nihil dignius facit lingua. Vero pato, quod ista sint vota, de quibus dicitur in alio Psalmi: Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea. (1) Nihil ista distinctione sublimius: nihil tam necessarium, & ad intelligendum, & ad faciendum. Quomodo ergo distinguas vota, quae reddis Domino? Ut illum laudes, te accuses; quia illius est misericordia, ut peccata nostra dimittat: nam si vellet pro meritis agere, non inveniret, nisi quod damnaret. Caute itaque fecerendum est, quid a Deo, quid a nobis habeamus: quidquid vero boni, totum hoc, qualecumque est, Deo; quidquid mali, nobis est adscribendum. Jam si id veritate niteretur, quod hodierni liberi arbitrii elatores obtendunt, in ipsis bonis operibus fecerendum esset, quid a Deo, quid ab innatis nobis viribus habeamus, ut Deo partem, partem nobis adscriberemus: quo nihil magis a pietate alienum excogitari potest.

Qui Divinae gloriae studio, ac zelo ardent, sancti Dei homines, Divinae gratiae virtutem, humanaeque voluntatis infirmitatem perpetuo commendarunt. Ea de causa suam ad Romanos Epistolam scripsit Apostolus, quae perspicue pronunciat, salutem nostram nedom a nostris viribus, operibusque petendam non esse, sed a sola, quae per Christum est, Dei gratia; cujus vim, & energiam ad bonum ita commendat, ut infirmitatem fauciat voluntatis humanae nil, nisi ad bonum, valere, distere significet. Hoc ipsum in suis ad Corinthios Epistolis statuit: Cum etenim fideles aliqui, qui Divinae veluti gloriae partem in Evangelicis praedicationis officio Praedicatoribus adscriberent, atque in illorum partes, inani gloriae stimulo, hinc, inde seinderent, palamque aditarent: Ego quidem sum Pauli, ego vero Cephe, ego autem Apollinis; inanem jaclantiam scripto retudit, ne quid Christi gloriae detraheretur, cujus illi administri duntaxat erant, una ejus gratia, ad ministerium Apostolicum obeundum, communiti.

Non absimiliter Augustinus eo adversus Pelagium sine pugnavit, qui quantum Divinae gratiae, tantum Divinae gloriae detrahebat: eumque hoc argumento saepe exagitavit sanctissimus Doctor, potissimum Justificationis partem libero arbitrio adscripuit iri, si ex innatis viribus voluntatis inclinatur, & determinatur ad bonum. Porro, si Molinianus audiamus, ea ad bonum determinatio, & bonus, ut ajunt, liberi arbitrii usus ab ipsa liberi arbitrii innata virtute oritur, uti & a nobis in habitis Congregationibus ostensum est, & a constitutis Judicibus pronuntiatum. Perspicua etiam Molinae confessio est 1. part. quest. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 18.

## §. 5.

**H**inc oritur altera promulganda definitio: efficacissima ratio, ut nempè vanam de

propriis viribus fiduciam deponant peccatores. Ubi etenim audiunt, in humana libertatis virtute positum esse, ut applicetur, & determenetur ad bonum, alterutrumque pro nutu suo eligat, aur refugiat, in peccato fordescent, mollique defidia torpent, falsa profus, ac insigni fiducia tuti, qua se, ubi liberit, peccatum deposituros confidunt, nullius gratiae victicis ope, quae rebelles voluntates frangat, & a demonis tyrannide, omnipotentissima virtute, redimat; Paulo Apostolo in oppositum reclamante, ad Philip. 2. Cum metu, & tremore salutem vestram operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere, pro bona voluntate.

## §. 6.

**N**il minus hujusce controversiae definitio Ecclesiae necessaria videri potest, ad scandala procul arcenda. Res comperit esse, nihil aequae Ecclesiam tueri, ac fovere, quam fidei, atque doctrinae unitatem, sic ut, licet varia sint dona, ac talenta Praedicatorum, unum tamen ab omnibus Evangelium, una veritas praedicetur. Hinc Deus locutus per os Sanctorum, a Zacharia dictus est, Luca I., quod, est Prophetae multi, atque Doctores existerent, uno tamen velut ore, eandem veritatem singuli suis oraculis pronuntiarent. Hanc Ecclesiae suae praerogativam (proponit Deus: Dabo, inquit, eis labium electum, ut omnes serviant humero uno. Quemadmodum enim in turris Babel molitione hominum linguas divisit Deus, ne in unum opus intenderent; ita plane, ut in Ecclesia nostrae salutis opus promovendum universi, unum fidelibus omnibus labium esse, voluit, idemque ab omnibus praedicari. Stat ea doctrinae contentione, uti notat Augustinus Luca contra Epistolam fundamenti, Ecclesia Catholica, nulloque alio aequae infici, concutique potest, ac repugnantium inter sese doctrinarum tolerantia. Hinc omnem a Coriinthiis scissioem eliminatam voluit Apostolus: Obsecro vos, inquit, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis scissio; tametsi non doctrinarum, sed affectuum scissio esset, quibus erga suos Apostolos ducebantur. Quae cum ita sint, nemo non videt, quantae necessitatis sit, pendentem controversiam definire, seu verius, latam pridem definitionem promulgare: cum partes hinc inde diffidentes, tutanda fama, causaeque promovendae studio, in Scholis perinde, ac pulpitis sua pro arbitrio venditent, non sine caeterorum morsu, summoque fidelium scandalo, & offensione.

Nec vero reponere juvat, controversias istas, in iudicium vocatas, non Religionis, sed Scholae rixas esse. Quantum enim novis illis opinionibus religio laesa sit, demonstratum a nobis est, & in Congregationum Commentariis relatum, quid de iis constituti Judices censuerint. Quin etiam ea fuit haecenus Ecclesiae Catholicae, in eliminandis quibusvis novorum Theologorum sinistris opinionibus, vigilantia, ut minus probabiles opiniones, ex quibus scandalum, scissioque suboriri possent, majoris securitatis studio quandoque proscripterit. Exemplo est Clementis V. in Concilio Viennensi definitio, quae quorundam Scholasticorum sententiam improbat, ac rejicit, qui gratiam informantem, atque virtutis, parvulis in Baptismo conferri, distabantur. Nos, inquit, opinionem, quae dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes quoad habitum, tanquam probabiliores, & dictis Sanctorum magis consonam, & concordem, Sa-

(1) Psal. 63. 13. &amp; 14.

Sacro approbante Concilio duximus eligendam. Quamquam ea gratia informantis, & habitus infusi nominis metaphysica sint, quæ nusquam in Divinis Scripturis observare licet.

## §. 7.

Ultimo tandem Ecclesiæ necessaria definitio est, ad ea pericula præcavenda, quæ ex diuturniori iudicii procrastinatione suboriri possent. Quia, cum universi in alterutris partis studia veniant, omnesque pro alterutrius Scholæ affectu opinionis ebant, res eo demum perdurarentur, ut quæ nunc facili negotio componerentur, nullo demum conatu, nulla industria, refarciri possint. Continuo siquidem usu monstra misceant, & errores, sectarum multitudine, vires accipiunt. Ea ratione permoti Justinus Imperator, & Comes Justinianus Hormisdam Romanum Pontificem variis Epistolis stimularunt, ad nonnullarum controversiarum definitionem maturandam, uti apud Baronium tom. 7. ad annum 520. legere est. Quoniam, inquiebat Justinianus Epistola ultima, nec difficultia sunt, quæ ceciderunt in ambiguitatem, nec expedit, diutius causam vitæ protrahi sempiternæ: ne, dilatis temporibus, aliquid nascatur incertius. Nova disseminantur in dies; exoticæ in dies opiniones proceduntur, inaudita petulantium ingeniorum audacia. Jactis jam ruinosis fundamentis, unusquisque pro arbitrio superædificat; ac turres veluti Babelicæ extruuntur: tanta est in sentiendo, atque loquendo dissonantia! E re Catholica igitur est, ut Pontificio iudicio certa fundamenta ponantur, qualia ab Apostolis, ac Patribus constituta esse, probatum, ac demonstratum est, quibus solis doctrinam de Divina gratia superstruere liceat.

## CAPUT II.

Quantum expediat, controversiam desiniri, habita ratione Partium dissentientium.

## §. PRIMUS.

Altero ex capite Innocentium II. induxit D. Bernardus ad controversiam, ætate sua suboritam, extremo iudicio finiendam: Quod videlicet causam ultimo dirimi expediret, habita ratione adversæ partis, quam, indico silentio, frangere necesse erat. Res ita se habuit, ut ex eisdem D. Bernardi Epistola 189. aliisque sequentibus colligere licet. Cum bona pace frueretur Ecclesia, tritaque teneret Majorum, ac Patrum doctrinæ semitas, circa Christi Domini Redemptionis efficaciam, & Peccatum Originale, &c. insolentem sibi fiduciam arripuit homo quidam, eruditionis opinione tumidus, Petrus Abaelardus: qui, ut doctrinæ singularitate famam sibi supra ceteros faceret, nova meditari cœpit; ne, si cum aliis sentiret ipse, nihil præ aliis scire videretur. Librum eo animo fabricavit, ut novos Minervæ suæ partus effunderet, atque in ipso statim disputationis exordio, (Divi Bernardi verba sunt Epist. 190.) Ecclesiasticorum Doctorum unam omnium de hac re dicere esse sententiam, & ipsam ponit, & spernit, ac gloriatur, se habere meliorem. Solitum illi erat, ita de gravi supercilio pronunciare: Omnes sic; ego autem non sic; (1) quasi nova præ ceteris Ecclesiæ Doctoribus luce perfusus esset. Discipulos sibi momento fecit, atque eos inter Arnaldum Brixiensem, multæ audaciæ virum, disseminandæ novitatis peritum ar-

tificem, quo, velut armigero, novus Goliath utebatur. In multorum amicitiam, & gratiam, sparjis undequaque, ac Romæ præsertim, doctrinæ suæ libris, irrepere molitus est, ut doctrinæ suæ nomen, ac patrocinium conciliaret. Unde Bernardus Epistola 191. Securis curiæ, inquit, quoniam Cardinales, & Clericos Curie se discipulos habere gloriantur, & eos in defensione . . . erroris assumit. Epistola vero 192. Magister Petrus in libris suis profanas vocum novitates inducit, & sensum, disputans de fide contra fidem, verbis legis legem impugnat. In Epistola 91. ad Innocentium II. quam, una cum nonnullis Episcopis, dedit, Extensis, inquit, palmites suos usque ad mare, & usque Romam propagans ejus. Hec gloriatio hominis illius, quod liber suus habet in Romana Curia, ubi caput suum vincet. Hinc confirmatus, & confortatus est favor ejus.

Cæterum, cum doctrinam capti facilem vendicaret ille, multosque ea de causa traheret in partes, diuturnioris moræ periculum expertus sanctissimus Abbas, eum publicis disputationibus ad sana consilia pertrahere conatus est, tamen ausu omnino irrito, ob novatoris scilicet impudentiam, discipulorum numerositate tumidiorem. Ad Sedem igitur Apostolicam confugeret, necesse fuit; quæ una & viri petulantis audacia, & doctrinæ undequaque serpentis novitas coerceri posse, videbantur. Litteras igitur ad Innocentium dedit, ad subortæ novitatis damnationem urgendam: quam & re ipsa efficacissimis rationibus obtinuit.

Videat jam, atque pendat Beatitudo vestra, num in eodem nunc itatu versetur. Erat ante paucos annos unius plane labii universa Theologorum Schola circa Divinæ gratiæ, & æternæ prædestinationis controversias. Subintravit viri, novitatis cupidi, & Sanctorum Patrum vanissimi contemptores, qui, sparjis hinc, inde libellis, totum pene orbem novitatibus infecerunt. Formam alteram doctrinæ pene omnis nuper induit, novam faciem universæ Theologia. Res eo demum, incredibilem novatorum industria, studio, dexterrate perducta est, ut unius Apostolicæ Sedis auctoritate componi possit; jamque Basilii Magni verba de quodam sui temporis novatore usurpare liceat; (2) Facilitate scribendi, quæ per occasionem ad quosvis irrepit, conjunctam habens sufficientem lingue facultatem, orbem suis libris implevit. Id porro non aliunde ortum, quam ex inanibus gloriæ cupiditate, & dominandi desiderio; ut & cæteris eminere, & altiora reliquis invenisse, viderentur.

## §. 2.

Auet promulgandi iudicii necessitatem recipientium novatorum indoles, quæ omnibus adulari, indulgere omnibus student. Non unum, idemque, ut scitis, est hominum genus. Novitatis alii delectantur, atque in quidem numero plures; rerum etenim novarum cupidus experitur propemodum infinitus. Alii doctrinam antiquam, & a Majoribus acceptam in pretio habent. Utrisque indulgere, ambiunt illi paucorum dierum homines. Doctrinam etenim suam interdum novam jactitant, Pelagianismi debeatibus ignotam, Augustino, in caligine posito, prorsus imperviam; ut viris novitatum amatoribus adulentur. Antiquam e contra nonnunquam appellant, atque ex primæ Patrum traditione derivatam, ne viris, avitæ doctrinæ retinentioribus, stomachum faciant. Familiaris est illa hæreticis pene omni-

omnibus astutia; commune novatoribus inest multitudine ingenii specimen. Hæretici, inquit Baronius tom. 4. pag. 288. Primo quidem jactant, quæ profertur; & quia statim ad novitatem sequitur suspicio, iterum dicunt, suam doctrinam esse, antiquiorum sententias suscitare. Quod idem ante illum observaverat Basilus Magnus lib. 1. adversus Eunomium, cujus verba hæc, ex ipsius Sermonis exordio petita, profert: Eam, quam jamdiu apud Patres obtinuit pia traditio, tanquam amissum quandam, & regulam exponendo, præmittamus.

Legantur novi isti auctores; observare facile erit, quo nunc supercilio Patres contemptim excipiant, despicantur, seque in illos superbius effertant, quasi mytheria ipsis impervia penetrarint: quo nunc e contra festivo plausu eorum se doctrinam excipere glorientur: tanta illis inest cubicula adulari dexteritas! Opus est igitur, ut Apostolica definitione veritas innotescat, palamque fidelibus constet, an re ipsa veterum Patrum vestigiis insistant. Num etenim ita sit, satis, superque in Congregationibus actum est.

## §. 3.

Ero vero potiori jure definitio illa vulganda est, quo ii majori studio admittuntur, ne publice prodeat. Mali profecto illi ominis est, apertumque deperditæ causæ argumentum. Quid etenim, si veritatem a suis partibus stare putant, rem extremo iudicio eliquari nolunt? Aperta Christi sententia est, Joannis 3. Omnis, qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem. Nihil aque hæresim sapit, quam velle, tenebris delitescere, nolle prodire in lucem, iudicium doctrinæ suæ refugere. Hinc Hieronymus in Prefatione in librum 4. super Jeremiam, Aut bona sunt, quæ docent, aut mala. Si bona, defendit libere; si mala, quid occulto miseris jugulatis errore, reſtaque fidei ad decipiendos simplices quoſque jactatis expositionem? Que si vera est, cur absconditur? Si falsa, cur scribitur? Et in Epistola ad Ctesiphontem, Sola hæc hæresis est, quæ publice erubescit loqui, quod secreto docere non metuit. Hinc & Baronius ad annum 410. Pelagii, ac Cœlestii circuitus verpelles enarrat, quibus Ecclesiæ iudicium effugere nitentur. Talis, inquit, hoc tempore status erat hæresis Pelagianæ, ut, cum propalarentur errores, auctores tamen latero cuperent: hacque de causa insulas ad docendum elegerunt, duasque simul pestilentie cathedras erexerunt, alteram in Sicilia, ad decipiendos Occidentales; in Rhodo Insula alteram, ad corruptionem Orientalium populorum. Consentiant & Acta Concilii Carthaginensis apud Augustinum, lib. 2. de peccato Originali, cap. 2. & 3. ubi, cum Cœlestius urgeretur ad doctrinam suam nitide, & expedite proponendam, ut de ea pronuntiare Ecclesia posset, rem ægerime tulit; sibi satis esse, inquit, si Baptisma necessarium fatere- tur; cætera vero, ad peccati originalis doctrinam attentantia, liberæ opinionis esse, quam Ecclesiastica definitione decerni, & eliquari, non expediret. Questionis res ista est, aiebat ille, (1) non hæresis. Infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptizari: quid aliud queritis?

Pari calliditate Eutyche Concilii Constantinopolitani iudicium refugebat. Missis ad se legatis, ut Synodo se fitteret, infirmitatem primo causari cepit: tum Monachum se esse, dixit, seque religionæ teneri, obtendit, ne extra Mona-

sterium vagaretur. (2) Uno verbo, hæreticos, non nisi filios tenebrarum, noctuas, vespertilionis a Patribus appellari, notum est, quod nec videri ab aliis patiantur, nec sensa sua examinari, & Ecclesiastica definitione in aperto poni velint. Ubi ergo Pontificii iudicii sol assulserit, abscedent illico vespertilionis, suisque latibulis delitescant; Regio vate id attestante: Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.

Hoc porro Sedis Apostolicæ iudicium prodire palam, ac secundum juris formulæ promulgari, tanto plus congruit, quanto petulantius, & audacius rem sibi adjudicatam conclamantur, ac, veluti parta victoria, triumpharunt. Mirum profecto fuit, quot dies festos egerint, quot publicæ lætitiæ significationes dederint, quot tentant artes, ut apud stultam plebeculam, virosque rerum gestarum ignaros, causam obtinuisse viderentur. Atque hinc vere colligere fuit, quam sibi in iustis litis tractatione male consiliis essent, quam iniquis titulis nobiscum agerent, quam anxia imminentis damnationis suæ conscientia torquerentur: qui sententiam, a vestra Sanctitate in suspensio positam, & in opportuno tempore dilatam, insignis victoriæ loco habuerunt.

Hæreticorum hoc proprium est, victoriam sibi semper accinere, quo etiam tempore causa cadunt, iustoque iudicio percelluntur: quia, cum non veritatis studio, sed popularis gloriæ cupiditate ducantur, nihil aliud admittunt, quam, ne damnati videantur. Id in Apollinariis comprobatum est, qui, ut refert Gregorius Nazianzenus, in Epistola ad Cledonium, in Synodo Occidentali proscripti, causam sibi adjudicatam conclamantur procul ab urbe Roma, sibi que victoriam mille mendaciis, & fraudibus accinuerunt. Hoc ipsum ante paucos annos in hisce novis Doctoribus experti sumus. Damnata quippe Romæ a Clemente VIII. illorum sententia de Confectione per litteras, & interuincium, illico extra urbem, ac potissimum in Hispania, in Scholis passim, & pulpitis conclamantur, se eo iudicio Pontificio nequaquam petitos esse, sed alios, de quibus ipsimet apud Apostolicam Sedem exposuissent, & ad sententiam ferendam adduxerant. Quo casu mille fabulas, risu dignas, egere, a quibus profereendis abstinemus, uti & alias hic scenas missas facimus, quas, occasione dilati iudicii Pontificii, præbere, dum Divinorum auxiliorum Congregatio soluta est.

## §. 4.

Accedit ratio altera, ex D. Athanasio petita, libro de Spiritu Sancto ad Serapionem. Narrat scilicet eo loci Macedonii calliditatem, qui Spiritus Sancti Divinitatem oppugnare cepit, specie oppugnandi Arianismi, eoque obtentu fidelium sibi benevolentiam conciliavit, qui eum religioso oppugnandi Arianæ erroris studio duci existimabant, cum e contra nihil aliud sentiret ille, quam Arius, amboque in eisdem blasphemæ professionem conspirarent. Fraudem detexit Serapion, Episcopus pietissimus, & Athanasium per litteras monuit, quam presentem remedium opus esset: Eo etenim periculosis hæresis illa grassari cœperat, inquit Baronius ad ann. 360. quod, licet prodiret ex Arianis, tamen ejus promulgatores adversari se Arius, profitebantur.

Ea se astutia muniant Doctores isti, nuper exorti. Oppugnandi Pelagianismi specie, novam in Ecclesiam doctrinam intrudere, cum sua pene omnia

(1) Cap. 4. (2) Apud Baron. ad ann. 448.

(1) Epist. 190. (2) Epist. 47. ad Damascum.

omnia ex Pelagianorum officina derivarint, quemadmodum in Congregationibus habitus ostensum est. Pelagio aequè, ac Calvinò bellum indixisse, videri volunt, ac tanta quidem ostentatione, atque factantia, ut illorum ductor exercitus, a quo etiam Schola recens nomen habet, scripturæ non erubuerit, nec Pelagianam quidem hæresim orturam fuisse, si sua illa inventa Divinæ gratiæ hostibus exposuisset Augustinus. Id porro quo consilio jactitatum? nisi, ut fidelibus turpissimum illud: quæ mediis oppugnandi Pelagianismi, & Calvinismi vias invenerint, reliquis Ecclesiasticis Tractoribus prorsus ignotas. Hinc itaque nova vulgandæ definitionis Apostolicæ necessitas oritur; ne honesto illo obtentu fuscitatus error latius ferpat, & ambitiosus.

CAPUT III.

Quantum expediat, controversiam definiri, ab Apostolicæ Sedis honorem, & dignitatem.

§. UNICUS.

Supereff ultima, eaque gravissima vulgandi Judicii Apostolici ratio, a D. Bernardo præcæteris commendata; Pontifici scilicet muneris obligatio. Nemini quippe dubium est, quin, eo præsertim titulo, universalis Ecclesiæ præfectus sit Summus Pontifex, ut enatas controversias dirimat; veritatem in aperto ponat; Apostolicæ Traditionis dogmata non arcano dumtaxat sinu foveat, sed publicam in lucem solemnè judicio prodant, dum id fidelium inter sese diffiditæ postulant. Exstat in hanc rem explicatissima Deuteronomii lex, Capite 17. Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse, perpexeris &c. & Judicium intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicium veritatem. Nec alia de causa Summus Pontifex in lege nova institutus est, quam ut subortus in Ecclesiâ controversias indeficienti judicio dirimat. Hinc D. Bernardus Epist. 188. Moyses, in Montem ascensus, verba recolens, Habes Aaron, & Har robuscum: si quis natum fuerit questionis, referetis ad ipsos: Christum ea figura præsignari, monet, qui Summum Pontificem in cælos ascensus Ecclesiæ dedit, ut ea, qua pollet, auctoritate, ac zelo, emergentes quaestiones enodet. Quo etenim iure Regiæ auctoritatis est, civiles subditorum controversias definire, Jus in temporalibus populo dicere, facta, & tactaque cuique bona servare; ita Pontifici muneris est, enatas in spiritualibus lites dirimere, doctrinæque, ac fidei quaestiones, cælesti velati nutu, definire. Quod usque adeo certum est, ut ejus interitum de subortis controversiis definitionem, interminata etiam Divini Judicii poena, illi requisierit. Sic sane Justinus Imperator, & Justinianus Comes emergentis controversiæ iudicium ab Hormisda Summo Pontifice expostularunt. Tremendi Judicii, inquebant in data ad illum Epistola, non immemor Sanctitas vestra, que sibi commissa sunt, efficaciter tradi deprecet: ut intelligant cuncti, recte vos Apostolicæ Sedis Præmaturum fuisse sortitos. Nec vero id mirum: cum & Gelasius ipse, Anastasio Imperatori rationes exponens, cur a ferenda sententia abstinere tutâ conscientia non posset, istam præcæteris proferat, (in Epistola apud Baronium, ad annum 494.) Dispensatione enim Divini Sermo, mihi innotuit, via mihi est, si non evangelizavero. Quod cum vas electionis B. Paulus formidet, &

clamat, multo magis mihi exiguo metuendum est, si divinitus inspiratum, & paternæ devotionis transfusum, subtraxero ministerium predicandi.

Pari profecto consilio Hieronymus Damasum compellavit Epistolis 57., & 58. ut fluctuantem veritatem in tuto poneret, dum, celebrato Nicæno Concilio, controversia de tribus in Deo Hypostasibus orta est. Has ille palam dicere detrectabat, quod ea loquendi ratio nova in Ecclesiâ videretur, nec satis, quid hac in parte certi contuliret, noverat sanctissimus Doctor. Damasum ergo convenit Epistolis, rogans, ut sententiæ, loquendi rationem præferret; pro ea, qua in universam Ecclesiam valebat, auctoritate futuramque spondit, quod in Evangelio Christus Dominus adpromisit; Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquile: fideles scilicet universos in eandem sententiam cum Romano Pontifice consenturos. Apud vos solos, inquebat Ep. 77. incorrupta Patrum servatur hæreditas. Vos estis lux mundi, vos sal terræ. . . . Quanquam igitur mihi me terreat magnitudo, invitât tamen humanitas. A Sacerdote vestram sagittam salutis, a pastore præsidium ovis. Tum demum in altera supplicationes suas ita concludit: Obsecro Beatitudinem tuam, per crucem Domini, per necessariam fidei nostræ decus, per passionem Christi, ut, qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito. . . . Nobis despiciere animam, pro qua Christus mortuus est. Iis scilicet verbis innuens, has illi faciendæ veritatis partes, ex Pontificiæ dignitatis officio, incumbere, eumque commissio sibi defecturum, si minus illas exsequeretur.

Jam vero, si Damasum Hieronymus compellavit, dum nominis potius, quam rei quaestio verberatur; quid facturum illum existimamus, ubi rei gravissima controversia moveretur? Gravior hoc in casu edenda definitio Apostolicæ religio intat, nec sine summo Ecclesiæ damno negligi potest. Tempus est, inquiebat alias Divus Bernardus in non absummi rerum eventu, Ep. 190. ad Innocentium II. Tempus est, ut vestrum agnoscat, Pater amatissime, Principatum, probetis zelum, ministerium honoratis: in eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis & Sedem, si vestra admonitione corda, in fide fluctuantia, confirmatis, si vestra auctoritate contentis fidei corruptores. Similiter & Patres Concilii Carthaginensis Innocentio I. significarunt, quanta ipsi, ex Pontifici muneris religione, incumberet proscribendi Pelagianismi necessitas: primum, quod Pelagius in erroribus promovendis exprectus, & ardentissimus esset: secundo, quod multos ubique gentium sectatores, atque discipulos sibi faceret; tertio, quod agitata ab illo Divinæ gratiæ quaestiones nostrarum orationum religionem, ac pietatem prorsus extinguerent. Quæ tria Summum Pontificem ad proscribendum sine mora Pelagianum errorem impulerunt.

Videat nunc Sanctitas vestra, num hoc ipsum impræsentiarum experiamur. Inducta nuper in Ecclesiam doctrinæ novitate de Divinæ gratiæ auxiliis, & humanæ voluntatis arbitrio, ad Inquiritores generales, & Nuntios Apostolicos res illi delata est. Causam illi, inspecta argumenti dignitate, diligentius examinarunt; cumque esset ferendo iudicio matura, eam Pontifex Maximus Romanus adiecit; spondendique sæpenumero, rem sese quantocius confecturum. Tum subinde permulti Romæ congressus habiti, disputationes initæ, data, & in Commentariis relata deputatorum Consensum iudicium. In Apostolicam itaque Sedem totus orbis defixus habet oculos, magnaque spe definitionis Apostolicæ suspensus hæret, ex ea potissimum die, qua eam se Beatitudo ve-

stra opportunò tempore promulgaturam, dato solemnè Rescripto, spondit, suamque veluti fidem partibus diffidentibus obligavit. Nusquamne igitur opportunis illa temporis occurreret? Nusquamne illucesceret optata dies, Beatissime Pater, quo sacrum illud veritatis oraculum licebit excipere, osculari? Novas indices ex hac tanta Judicii procrastinatione vires obtinent Novatores; inventa sua longe, lateque diffundunt; doctrinæ suæ suffragatores undequaque congerunt, ac, nisi ferè Pontificiæ definitionis oraculum prodeat, spes omnis demum excidit propulsandæ novitatis, & faciendæ veritatis.

CAPUT IV.

Satisfit momentis adversa partis, quibus Apostolicæ Sedis iudicio intercedum.

§. I.

Hæc in primis Novatores isti ratione pugnant. Quaestiones in iudicium vocatas ex eorum numero non esse, ajunt, quas definire sit opus, sed liberæ Theologorum opinioni permitti, ut quisque de illis pro arbitrio sentiat; quales aliæ propemodum infinitæ a Theologis hinc, inde pro ingenii libertate agitantur.

At priusina professione sua, & ante actorum meminisse opus est, quotquot jam ita garrunt. Quaestiones quippe, in iudicium vocatas, non opinioniones esse, sed fidei, in publicis congressibus facti sunt adversæ partis Actores non semel, & iterum, sed multis admodum vicibus. Rursus, de suscitato Pelagianismo postulantur; atque, an ita res esse, quaestio, secundum Juris formas, apud Apostolicam Sedem instructa est. De fide itaque; non de opinionibus agebatur. Hinc toties in Congregationibus disputatum, An Molina cum Pelagianis sentiret? An cum Cassiano, cæterisque Maillicibus conveniret? An hæc, vel illa sententiæ ex Pelagianismi fontibus derivata esset? An eandem, ac Augustinus, libero arbitrio vires Molina tribuerit? An Justificationis initium liberi arbitrii conatibus Molina dederit? aliaque id generis de caritate, de fide, de virtutibus, de tentationum victoria, de gratuita vocatione, de scientia futurorum, longe multa, in quibus, Molinam Pelagianismi luto hæerere, demonstratum est, & a constitutis iudicibus pronuntiatum. Quid itaque nunc sibi volunt, dum controversias illas omnes præter fidem esse dicunt, & liberæ Theologorum opinioni permittendas; ut speciosa illa circulatione Sanctitatem vestram a vulganda Apostolica definitione dimoveant?

Communis est illa Hæreticorum astutia, maxime vero Pelagianorum, de quibus ita scribit S. Augustinus lib. 2. de Peccato originali, cap. 23. Volentes hæreticos astute invidiam declinare, asserunt, istam præter fidei periculum esse quaestionem; ut videret, si in ea fuerint exorbitasse convicti, non criminantur; sed quasi circulatorum errasse videantur. . . . Perpicacis, id cum egisset, hac prælocutione præmissa, ut, si quid in illo apparuerit erroris, non in fide, sed in quaestionibus, que sunt præter fidem, videretur errasse; ubi esset corrigendus esset error, non tamen tanquam hæresis corrigatur: & qui correctus fuerit, ita dicatur errare, ut non tamen hæreticus iudicetur.

Plus satis a nobis ostensum est, non ex earum numero esse quaestiones illas, que liberæ opinioni permitti debeant; cum ipsa Religionis fundamenta.

(1) Apud Baron. ad an. 476.

menta concutiant, eandem veritates impertant, qua jam pridem a Pelagianis, & Maillicibus oppugnatae sunt. Nec enim, si secus esset, tanto eas studio, tanto apparatus Apostolica Sedes ventillasset, indicis per tot annos Congregationibus celeberrimis, auditis Academicis, Theologis ad iudicium vocatis. Immo vero ea solemnitate Causa illa tractata est, ea totius orbis expectatione institutum examen, ea religione vulgandæ tandem aliquando sententiæ, oppignorata Sedis Apostolicæ fides, ut hæere jam, atque, suspensa definitione Apostolica, pedem figere, pudor sit.

§. 2.

Adunt ad idem institutum Novatores, a ferenda definitione abstinendum esse, ne orbis eo iudicio commoveatur. Nec id modo tantum obtrudunt; sed & illo quondam territorialamento Clementem VIII. a ferenda sententiâ dimovere conati sunt, ingentes fidelium motus, & scandala comminati, si Moliniana dogmata damnarentur.

Et hæc quoque familiaris hæreticis calliditas est, motus, seditiones, & scandala comminari, ut Ecclesiæ iudicium effugiant. Hac arte usus Eutyrius, narrat Evagrius lib. 3. cap. 5. (1) ut Concilii Chalcedonenis definitiones eliderent. Imperatores Basilicam, & Marcum litteris commovere, quibus Chalcedoneas Decreta minime vulganda inquiebant, pro certo persuasi, mundum, si id fieret, seditionibus eversum iri. Pari calliditate Anastasio Imperatori suaserunt alii, ne Pontificiæ Constitutiones, ad consolidandam ipsorum hæresim, a Gelasio latas, vulgari sineret, ne turbaretur Imperium.

Tantum porro abest, ut orituræ seditionis metu, causa injudicata dimitti debeat; quin potius idcirco maturanda definitio est, ne altiores radices novitas agas, novumque sectatorum multitudinæ robor obtineat. Hac ratione permoti Carthaginensis Synodi Patres, coram Innocentio I. supplicarunt, ut Pelagianam hæresim brevi conficeret, qua novis spacio temporum vicibus arguatur. Innocentium II. adduxit D. Bernardus, ut Petri Abaelardi errores sine mora proferberet, ne rei conscientia difficultas sententiæ procrastinatione augeretur indies: sic enim cum confieratis nonnullis Episcopis scribebat Epistola 191. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & populum, qui sibi credit, habet; necesse est, ut huius contagio celeri remedio occurratis; sicut enim medicina paratur, cum mala per longas invaluerint moras.

Jam quod obicitur, ex Pontificia definitione scandalum orituram, ludicrum est. Illud immo scandalum loco habendum, quod istud viri Religiosi, ac Theologi comminari audeant. Digna quippe Grægorii Magi sententiæ est, super Ezechielem: Quando de veritate nascitur scandalum, utilius permittitur, nasci scandalum, quam veritas relinquatur. Alias a ferenda etiam in Lutheranos sententiâ temperandum fuisset; cum universam pene Germaniam infecerint, ejusque Principes bene multos suis partibus addixissent: ab Ariatorum damnatione abstinendum, cum toto pene orbe diffusis essent, Potentum gratia tuti, ac Sædatorum multitudine fornidandi. Tantum igitur abest, ut insauti quidpiam Ecclesiæ catholice ex Pontificio iudicio oriri possit; quin immo in ejus pacis, & gloria cumulum cessuram hujusce liti definitionem, estimandum est. Quocirca notanda venit Constantini Imperatoris Epistola.

stola ad sextam Synodum œcumenicam; dum, excitatis gravissimis controversiis, causam fidei a sanctis Sacerdotibus finiri, supplicavit, in spem optatissimæ pacis, Imperio suo restituendæ: *In pace namque fidei, inquit, pariter compactam a Christo dilectam Rempublicam nostram, confidimus.*

## §. 3.

Opponunt tertio loco Novatores, multas Theologorum arbitrio permitti gravissimas controversias, uti sententiam de Immaculato Virginis conceptu, quam nec Concilium Tridentinum, nec Romani Pontifices definiendam, judicaverunt.

Verum longe aliter se res habet impræsentiarum. Nulla etenim Scripturarum aperta testimonia suppetunt, nulla Ecclesiæ facta revelatio, nulla Patrum imperturbata traditio de Immaculato conceptu Virginis, quibus nisi Canonica definitio possit. At vix ulla Divinarum Scripturarum pagella est, (uti loquitur Innocentius I. ad Milevitane Synodi Patres) ubi Divinæ Gratiæ necessitas non magnopere commendetur. Vix novi quidpiam de Divinis auxiliis fingi, statuique potest, quod a Synodis Africanis, Patribusque hæreticos Pelagianæ debellatoribus, non fuerit in antecessum occupatum, ac minutatim disputatum. Quibus omnibus Ecclesiasticam de rebus controversis definitionem superstruere, facile est.

Sed nec illud omittendum hoc loco; eam sive hæcenus Ecclesiæ Catholicæ providentiam, ut, etsi nonnunquam ab edenda solemnī definitione temperavit, peculiari nihilominus studio, famulari semper, atque tutiori doctrinæ tuendæ providit. Sic legem præmittendæ Confessionis Sacramentalis, dum quis, peccati mortalis sibi conscius, ad Eucharistiæ Sacramentum accedit, ita factam, restantem voluit Concilium Tridentinum, ut illos excommunicatione petierit, qui seus docere, ac prædicare præsumerent. Sic Viennense Concilium sub Clemente V. eorum Theologorum sententiam, qui gratiam informantem, atque virtutes parvulis etiam in Baptismo conferri docent, probabiliorē pronuntiavit, & Sanctorum Patrum assertionibus consentaneam. Nusquam tamen Ecclesiæ cuique licitum fecit in gravissimis controversiis, quibus stat Religionis Catholicæ fundamentum, pro arbitrio, & ingenui libertate lætare.

## §. 4.

Obiectant ultimo tandem loco Novatores, partem adversam nova etiam vocabula in Ecclesiā induxisse: utpote, quæ *Physicæ prædeterminationis* vocem, Patribus ignotam, usurpet;

Quibus breviter reponimus, nolle nos de vocabulis disputare, modo de doctrinæ capite confiterit: *Judaicæ quippe perfidia genus est, relictiæ rebus, syllabas consecrari*; ut alias inquit Gregorius Nazianzenus. Gratiam se ipsa efficacem in solemnibus Congressibus propugnāvimus; quæ Deus movet hominis voluntatem ad singulos pietatis actus, non solum interius suadendo, invitando, & excitando moraliter, verum etiam active, proprie, ac vere efficiendo, ut liberum arbitrium infallibiliter consentiat. Rursus hanc Divinæ gratiæ efficaciam ex Dei in hominum voluntates omnipotentissima virtute, atque dominio oriri, defendimus, quovis exploratrici scientiæ mediæ semoto lumine. En nostræ doctrinæ summam, de qua potissimum a Censoribus pronuntiatum est. Id si nobiscum admiserint adversarii, nulla, aut certe minima supererit de nomine controversia. *Physicæ* quidem *Prædeterminationis* nomen ad id significandum usurpāvimus, nec immerito; quod aliis pene omnibus voculis adversæ partis Actores abuterentur, nostrique dogmatis summam eo vocabulo congruentius explicari, putaremus. Quid vero, si novum illud utrunque videri posset? Observat siquidem eleganter Cardinalis Baronius ad annum 496, Ecclesiā ad nova interdum vocabula usurpanda cogi, ob singularem hæreticorum audaciam; qui, cum tritis sæpius vocibus abuterentur, catholicos pene invitos ad novas etiam usurpandas impellunt. Hinc Confubstantialis, Deiparæ, Transubstantiationis vocabula necessario usurpata, ut antiqua Ecclesiæ fides adversus Hæreticorum dicitatem exponeretur: *Nova, inquit, in Ecclesia Catholica opus fuit excogitare vocabula, cum hæretici, prioribus abusi vocabulis, simpliciter professi solitis, ex illis suam ipsorum sententiam voborare, conati sunt.* Sic & nos pari necessitate compulsi sumus, *physicæ Prædeterminationis* vocabulum usurpare; ut gratiæ se ipsa efficacis omnipotentissimam, insuperabilem, & indeclinabilem energiam, ab Augustino contra Pelagianos assertam, significemus; id a nobis exigente adversæ partis dicitate, quæ aliis quibusque vocabulis licentius abutitur.

# DE JURAMENTO, QUO

## ACADEMIA SALMANTICENSIS

S. Augustini Doctrinæ, & S. Thomæ  
Conclusionibus docendis se addixit.

NEC NON DE EJUSDEM JURAMENTI

## APOLOGIA, EXCERPTUM

Ex quibusdam mss. Doctrinæ Augustinianæ Vindiciis.

Hæc erant exterorum, hæc domesticorum adversus Molinæ novitates consilia; nec illi tamen a proposito dimoveri poterunt, qui illud tenacius assumpserant. Sed cum viderent, se in validissimam turrim Doctrinæ Augustinianæ, tot Pontificum, Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis munitam, sicut Turris David, quæ edificata est cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium, in cassum arietare; altum militarem imitati, statuerunt, suffocis cuniculis, fundamenta illius evertere, & auctoritatem convellere. Hinc tentarunt approbationes, & testimonia, quibus illa vallatur, infringere, & deterere; navos, errorisque doctrinæ affingere; variis in personam, & ejus dogmatum capita congestis calumniis, nomen, & existimationem in contemptum adducere: ut sic pessumdanda auctoritate, & reverentia, detestationem quoque ejus, quem impetebant, obtinerent, & doctrinam orthodoxam, atque utilissimam, ob personæ invidiam, vilisfacere prævalerent, curamque exterriti lectoris ab his, quæ infamassent, averterent. (1)

Conspirationem istam, in Ecclesiæ, & fideli Catholica exitium vergentem, inter primas dextit celeberrima totius Monarchiæ Hispaniæ Academia Salmanticensis, doctrinæ Augustinianæ plurimum studiosa. Si quidem perferentibus, S. Augustinum in dies magis, magisque vilescere, & non tantum Augustinum, sed una quoque individuum ipsius sectatorem, Thomam Aquinatem, qui *B. Augustini vestigia insequens*, (2) Ecclesiā doctrinis, & scientiis quamplurimis adornavit: audiebat in scholis suis tirunculos, Præceptorum suorum exemplo, ad allegatam Doctrinam istorum auctoritatem, contemptum reponere *Transat Augustinus, transeat D. Thomas*, & vilipendium illud paulatim ita crebrescere, ut brevi præclara ista Ecclesiæ Lumina modernorum lychnis accenserentur.

Itaque, pro innato sibi zelo in tuenda fidei, & doctrinæ, præsertim Augustinianæ puritate, gliscenti sentim veneno antidotum efficac adferre, statuit.

Negotium primo discutiendum committitur congregationi octodecim virorum & primoribus

Serry Tom. II.

Academici, scientia, & rerum usu præstantissimis, tam Theologis, quam Jurisperitis. Proponitur imminens malum, & erumpens in SS. Patres insolentia. Agitur de remedio opportuno; idque, ut rei momentum exigebat, per plures dies. Atque interea, ne quid levius in re tanta statuatur, aut humani aliquid irrepat, adhibentur a religiosissimis Familiis ad Deum preces, sacrificia, jejunia, & carnis macerationes: ac tandem illud unicum, & præstantissimum remedium occurrit, ut Professores omnes, & Cathedrarum moderatores Juramento adstringantur doctrinæ S. Augustini, & S. Thomæ.

Propositum desertur ad Concilium Academicum, ventilatur, perpenditur, pressiusque discutitur; ac demum, deposita omni humana formidine, qua nonnulli adhuc tenebantur, ob injectas ab adversariis graves minas, unanimi consensu conclamatum est, Juramentum illud omnino esse præstandum, & religiose observandum, auctoritatemque, & doctrinam Sanctorum Augustini, & Thomæ, tanquam pro aris, & focis, esse defendendam.

Quodque notatu dignum, & ante illud in ista Universitate nunquam visum fuerat, quando publice suffragia proferebantur, inter sexaginta, ut minus, vix unum, aut alterum a communi Sententia discrepavit: & dum, pro majori suffragantium libertate, secreto scrutinio collecta fuere, nullum prorsus dissenso: ut non immerito sapientissima illa Universitas unanimem istum consensum, in tanta suffragantium pluralitate, opinionum diversitate, & partium, ac Ordinum varietate, speciali Divini Numinis inspirationi, & directioni adscribat.

Juramentum autem his verbis exprimebatur: *Juro, in quotidianis lectionibus, quas in Academia vel Cathedra moderator, vel voluntarius Professor legero, me docturum, atque lecturum in Theologia Scholastica Doctrinam Sancti Augustini, & Conclusiones D. Thomæ, quas in Summa Theologicæ docet, ubi horum Sanctorum mens aperta fuerit; ubi vero anceps, & dubia, nihil docturum, neque lecturum, quod eorum doctrinæ adversari senserim; sed quod vel juxta meum sensum, vel eorum, qui discipuli Sanctorum Augustini, & Thomæ communitate cen-*

Nu 2

sen-

(1) S. Prosper in præf. ad Cap. Gall. Item Hincm. Archiep. Rbmen. tom. 2. episc. ad Hincm. Laud. c. 28. A. 1627. (2) Bulla Urbani V.